



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

12. An quis teneatur denunciare, si ex denunciatione timeat damnum
notabile cum probabili periculo mortis, infamiae, aut grauis alicuius damni
proprij, vel patris, aut mariti, matris, vxoris, fratrum, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XII.

An quis teneatur denunciare, si ex denunciatione timeat damnum notabile cum probabili periculo mortis, infamiae, aut gravius alicujus damni proprii, vel patris, aut mariti, matris, uxoris, fratrum, aut aliorum conjunctissimorum?

Et an si aliqua mulier sollicitata à Confessario, vel Monialis, aut alia non potens adire Inquisitores absque infamia, satisfaciatur per epistolam missam ad Inquisitorem denunciare, &c.

Et an excusetur uxor non denuncians maritum haereticum, timens ab eo male tractari, aut interire?

Et quid faciendum est, si haereticus abjurans apud Inquisitores, si iterum delatus, quod nonnullos complices in suo examine subiacuisset, si respondeat hoc fecisse, quia valde timuit ab ipsis complicitibus, quia ditiores & potentiores erant, &c? Ex part. 1. tract. 4. Resol. 7.

Negativè respondet Sanctarellus in tractat. de heresi, cap. 9. num. 16, qui citat Pegnam, & Scacc. quibus ego addo Homobonum tr. de cas. reserv. p. 2. cap. 1. Peytinum super privilegia Minorum, tom. 2. Constit. 4. Gregor. XV. §. 9. n. 28. & Fagundez de Præcept. Eccles. tract. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. ubi asserit, denunciatores non teneri hujusmodi denunciations facere Inquisitoribus, cum probabili periculo mortis, infamiae, aut gravius alicujus damni proprii, vel patris, aut matris, mariti, uxoris, fratrum, aut aliorum conjunctissimorum. Sed limitat hanc sententiam Geneensis in praxi cap. 18. num. 8. nisi haereticus dogmatizaret in magnum Reipublicae damnum, animas seducendo, & corpora offendendo; ut si occidat pueros; & similia faceret: tunc enim, asserit ille, succedit id quod quilibet pro patria tenetur ponere vitam.

Idè ex hac opinione infert Portel. in addit. ad dubiæ regul. verb. sollicitare feminas, num. 21. quod si aliqua mulier fuit sollicitata à Confessario, vel Monialis, vel alia non potens adire Inquisitores, absque infamia satisfaciatur denunciando per epistolam missam ad Inquisitorem, tradendo epistolam familiari alicui S. officij, vel iter consilio Confessarij: nam ita faciens facit: quantum in se est, Lazarius verò, cum in tract. de blasphem. q. 12. num. 64. hanc sententiam rationibus, & auctoritatibus comprobaret, post multa sic asserit: [Dicebam olim, virginem quandam ex honestis parentibus, cujusdam domicellæ ancillam, quæ servum ejusdem domus frequenter blasphemias, etiam haereticas, proferentem audierat, non debere accedere ad Sanctæ Inquisitionis Officium, ad illum denunciandum: grave enim damnum posset sibi probabiliter timere in fama, & honore eventurum; quandoquidem eam videntes, ad dictum Tribunal accedere, facile suspicari possent, eam de aliquo delicto inquisitam fore. Igitur in tali casu potest, imò, tenetur, (quod facere possunt Moniales) aut suo chirographo, si scribendi esset perita, denunciare, & attestari de tali blasphematore per certum hominem ad Inquisitorem missum, vel Confessario blasphematorem indicare.] Ita Lazarius. Et hanc sententiam probat Episcopus Acugna, qui fuit prius Inquisitor tract. de Confess. sollicit. q. 19. per tot. & Mollesius in summa, tom. 1. tr. 7. c. 24. n. 24. cum Homobono de exam. Eccles. p. 1. tr. 7. c. 7. q. 32.

3. Hinc Pegna in direct. Inquis. p. 2. q. 53. comment. 78. cum Sigismundo Scaccia de judic. caus. civ. crim. & her. cap. 56. num. 24. in fine, & Farinacio de heresi, q. 197. n. 53. excusant uxorem non denunciante maritum

haereticum, timentem ab eo male tractari, aut interire. Et sic haereticus abjurans apud Inquisitores, si iterum delatus, quod nonnullos complices in suo examine subiacuisset, respondeat, hoc fecisse, quia ob ipsis complicitibus, qui ditiores, & potentiores erant, sibi valde timuit, non est indistinctè puniendus, & Curiae seculari tradendus, tanquam delinquens; sed mitius damnandus, ut observavit Freit. in addit. ad tract. de Confess. sollicit. q. 19. num. 15.

4. Sed his non obstantibus, docet Bonacina disp. 6. punct. 2. num. 6. quod hæc doctrina non probatur ab omnibus: ait Freitas in addit. ad tract. de Confess. sollicit. q. 19. n. 15. fin. quod attentata practica, contraria sententia amplectenda esse videtur, maxime in casu haereticis formalis. Vide etiam Rojas sing. 3. num. 22. seu 30. vers. 7. ampliatur.

RESOL. XIII.

An poenitens sollicitata teneatur denunciare Confessarium si ex illa denunciatione timeat damnum notabile, v. g. si ei sequatur mors, membri abscissio, vulnera, notabilis fama & honoris jactura, amissio majoris, vel magnæ partis bonorum, vel alia similia; aut hæc consanguineis, vel affinis usque ad quartum gradum probabiliter eventura timeatur? Ex part. 4. tractat. 5. Resol. 19.

Parrem affirmativam regulariter sequendam esse docet Bonacina in tract. var. disp. 6. punct. 1. §. 3. num. 6. in fine, & punct. 3. n. 11. quia ferè nunquam hujusmodi periculum damni imminet, tum quia incommoda, quæ sequuntur ex abusu Sacramenti Poenitentiae, in hac materia prævalent incommodis privatarum personarum.

2. Sed his non obstantibus negativam sententiam tenet Lezana in summa quest. Regul. cap. 19. n. 34. Acugna de Confess. sollicit. quest. 19. n. 6. Peirinus de priv. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregor. XV. §. 9. n. 28. Fagundez pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. Sancius in selectis disp. 11. num. 55. & Soula in aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 34. n. 58. ubi sic ait: Regulariter excusatur forma sollicitata à denunciatione, si ex denunciatione ei sequatur mors, membri abscissio, vulnera, notabilis fama, vel honoris jactura, amissio majoris, vel magnæ partis bonorum, aut hæc consanguineis & affinis usque ad quartum gradum probabiliter eventura timeatur; & ut quis dicatur sufficienter timere prædicta mala taliter quod à denunciando deobligetur, sufficit quod probabiliter proximè eventura credantur, facileque eis occurrere non possit, & qui illa minatur, possit, ac solitus sit illa, aut similia exequi. Verum si ex omissione denunciationis bonum fidei periclitetur, non potest omitti denunciatio, licet inde denunciante aliquod ex prædictis malis, vel periculis eveniat. Ita Acugna & in hoc ultimo casu admittenda est opinio Bonacinae.

3. Sed licet prædicta sint vera, advertant tamen Confessarij, quod in hoc cavendum est, ne trepidetur timore, ubi timor non est, & ideo, ut vult Peirinus loco citato, suadeant mulieri non esse in honestum comparere coram Inquisitoribus pro Catholice fidei defensione ad denunciandum taliter delinquentes. Unde Sancius in selectis disp. 11. n. 45. Acugna q. 2. n. 14. & ibi Freitas n. 14. & alij asserunt feminas egregias & nobiles teneri testificationis causa in sollicitatione adire Inquisitores, id enim nimis durum non est ob bonum Religionis, nisi clausura, infirmitas, aut alia justa ratio excuset; vide etiam infra ref. 36. movendæ tamen sunt mulieres sollicitatæ cessantibus periculis ad denunciandum.

RESOL.

Sup. hoc in xcl. præterit ra.

Quæ nunc hanc sequetur.